b. r. (1764)

(Stanisław August Król)

Ser^mi Stan...... Dies sacra.

SERENISSIMI
STANISLAI AUGUSTI
POLONIARUM REGIS
DIES SACRA.

EN CORONAE CEDIT DIES

ECCE NOSTRUM IUBILUM

HYMNUS

Pange lingua refulgentem
Regis Noſtri gloriam;
Iſta Dies exultantem
Solatur Poloniam,
Nectit enim omnem Gentem
In Sui memoriam.
En Coronæ cedit dies
Ecce Noſtrum Iubilum.

Nobis Natus, Nobis Datus
A Iubente Numine,
Et nobiscum Conversatus
Admirando ordine,
Alternatim & amatus
Sui Cordis flamine.
En Coronae cedit dies
Ecce Noſtrum Iubilum.

Cerne

Cerne Ipſum, en amorem,
Ecce omnes Gratiæ,
Specta Ipſum, en decorem
Virtutis eximiæ.
Summe Deus! O ſplendorem
In humana specie!

En Coronæ cedit dies
Ecce Noſtrum Iubilum

Nam quis poſſet non amare
Hunc Virtutum Cumulum;
Hìc videret coruſcare
Naturæ miraculum,
Nitoremque magnum dare
Ad Coronæ cumulum.

En Coronae cedit dies
Ecce Noſtrum Iubilum.

Honoremus ergo Regem
Ex Genere Principum,
Veneremur Tantum Regem
Voti noſtri terminum,
Diligamus Carum Regem
Puritate cordium.

En Coronæ cedit dies
Ecce noſtrum Iubilum.

Hæc

Hæc Te Dies Creatorem
Pacis noſtræ celebrat,
Ipſa Te Conſolatorem
Huius Regni nunciat,
Orbis iam Moderatorem
Hæc Dies Te prædicat.
En Coronæ cedit dies
Ecce noſtrum Iubilum

Tu Prudentem in ſecundis
Regis ſemper animum,
Rectum pariter in dubiis
Eſt Tibi conſilium;
Hoc eſt verè Sapientis
Maximum indicium.
En Coronæ cedit dies
Ecce noſtrum Iubilum.

Ad ardorem piæ mentis
Tua pura charitas
In amplexu bonitatis
Suas fundit gratias,
Vnde Almi Tui Cordis
Omnis fulget pietas.
En Coronæ cedit dies
Ecce noſtrum Iubilum

Sempi-

Sempiterno ergo Deo
Gratiarum actio,
Eius insit cordi meo
Debita Laudatio,
Cum solummodo ex Eo
Stet Pacificatio.
En Coronæ cedit dies
Ecce nostrum Iubilum.

Hanc amamus, hanc avemus
Anxio suspirio,
Ex hoc fonte nos vigemus
Valido subsidio,
Namque totum, quod habemus
Pacis dat Religio.
En Coronæ cedit dies
Ecce nostrum Iubilum

Lætus sulcat opulentam
Tellurem agricola,
Tutam transit suam vitam
Nemorosus Incola,
Nec Viator lacessitam
Fraude furis subdola.
En Coronæ cedit dies
Ecce nostrum Iubilum

Non

Non devaſtat Regiones
Inſolentia militum,
Non formidant Civitates
Tormentorum globulum,
Non egeſtas premit Leges,
Nec ærumna Populum.
En Coronæ cedit dies
Ecce noſtrum Iubilum

Neque Aris inſultatum
Ibit tincta sanguine
Manus, ubi ſtat velatum
Cibi ſub imagine
Numen Sanctum adoratum
Fidei Noſtræ Lumine.
En Coronæ cedit dies
Ecce noſtrum Iubilum

Hinc Doctrinæ, & hinc artes,
Atque omnis ſcientia
Honorabunt præſtolantes
Exoptata praemia,
Ut retribuit merentes
Jpſa prudens Graecia.
En Coronæ cedit dies
Ecce noſtrum Iubilum

In

In hoc dulci sinu Pacis
Iam laetantes fruimur,
Unde Regni, ac Regnantis
Gaudium innascitur,
Huic bono Omnipotentis
Cor nostrum innititur.
En Coronæ cedit dies
Ecce nostrum Iubilum

Sic Tu velut Agamemnon
Potens eris animo,
Sic ut Alter doctus Solon
Sensu reges optimo;
Quo nunc gaudio Salomon
Te spectaret maximo!
En Coronæ cedit dies
Ecce nostrum Iubilum

Salus Tibi sit perennis,
Laeta, & firmissima,
Hæc sunt vota Tuæ Gentis,
Mea quoque intima,
Nunquam Vitæ recedentis
Tibi pars sit ultima.
En Coronæ cedit dies
Ecce nostrum Iubilum

Amen.